

Neque ullum mihi est dubium, quin eodem sensu Epimenides appelleatur Θεολόγος, quo dicitur προφῆτης. Diserte namque Pollux l. 19. Θεολογῶν notionibus περὶ μανῆκης τέχνης annumerat. Et quamvis Epimenides in multis reliquos Poetas longo post se interuallo relinquat, omnes tamen, nec scio quem, Enthusiasinum crepant. Vna omnium uox est.

Est DEVS in nobis, agitante calescimus illo :

Sedibus aethereis spiritus ille uenit.

Plato, cuius uerba laudat Clemens Alexandrinus L. VI. Strom. p. 698. κοῦφον, inquit, γάρ τι χρῆμα καὶ ιερὸν ποιητῆς, καὶ σὺν διος τε ποιεῖν, τῷν ἀνθεούς τε καὶ ἐνθεων γένηται. Quod uero mysteriorum interpretes, et Sacerdotes Theologi pariter dicti sint, id plurimis probatum dedit Gisbertus Cuperus, de Apoth. Homeri p. iii. Affert in primis pro sua sententia nummum Pergamenorum, cuius haec est inscriptio ΕΠΙΣΚΟΜΦ. ΓΛΥΚΩΝΟΣ ΘΕΟΛΟΓΟΥ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΠΡΩΤΩΝ Γ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Non curo Io. Harduinum, qui Opp. fol. 939. Θεολόγου in hoc nummo de illo explicat, qui de Diis, h. e. Augustis, quales fuere Traianus, Decius et Hetruscus, panegyricam orationem habuit. Habet quidem, non ignoro, uox Θεολογῶν eam significationem, ut denotet, aliquem, tanquam DEVM, celebrare. Hoc sensu, in Philos. Origen. c. XXIV. Brachmanes dicuntur Θεολογῶν Dam-damin quendam. Quo minus tamen hanc in praesenti nummo admittam significationem, facit alias nūmmus Pergamenorum, in quo ΙΕΡΕΤΣ appellatur, qui in altero illo dicitur ΘΕΟΛΟΓΟΣ. Inscriptio ita se habet M. ΦΟΤΡΙΟΣ ΙΕΡΕΤΣ ΚΑΙ ΑΣΙΑΡΧΗΣ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. Sic igitur ΘΕΟΛΟΓΟΣ et ΙΕΡΕΤΣ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ unum sunt idemque. Neque id obscurum est ex nomine ΝΕΩΚΟΡΩΝ, quod Polluce teste L. I. 14. Θεραπευτὴν τῶν Θεῶν denotat, et ob Numinis alicuius, cuius curam habebant, cultum, certis in Asia ciuitatibus tribuebatur. In ipsa Scriptura Act. XIX. 35. Ephesus νεωκόρος τῆς Αἴτεριδος dicitur. Epoptis tandem merito Theologi dari nomen, ex Clem. Alexandrini patet L. I.

Strom.